



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Testimonium Patris æterni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

fectâ me bea: & quemadmodum Aposto-
 los & Discipulos Domini repente in viros
 alios commutasti; ita me in momento ex
 timido audacem, ex imbecilli fortem, ex
 ignaro sapientem, ex invido charitate fer-
 ventem, ex ambizioso humilem, ex imper-
 fecto, omni perfectione præstantem effi-
 cere dignare; ut hac ratione mutatus, nihil
 velim, nihil cupiam extra te, sed te plenus
 & internâ præsentia tuâ satiatus te fruar
 in vita, metâ & patriâ. Amen.

1. Testimonium Patris æterni.

Tres sunt qui testimonium dant in cœ-
 lo Pater, Verbum & Spiritus sanctus,
 & hi tres unum sunt, ait Discipulus quem
 diligebat Jesus. *1. Ioan. 5.* O Pater æ-
 terne! Tu devotè communicanti testi-
 monium internum dare affoles præsentia
 Filii tui in Sacramento, & excellentia pa-
 nis vivi, dum omnipotentia tuâ facultates
 animæ corroboras in Divino obsequio,
 renovasque hîc testimonium olim in Ba-
 ptismo & Transfiguratione à te datum:
*Hic est Filius meus dilectus in quo mihi
 bene complacui, ipsum audite.* Da testi-
 monium animæ meæ de præsentia Filii tui
 dilecti

dilecti in sacra Eucharistia, ut hoc admirabile Trinitatis inventum, hoc saluberrimum Deitatis consilium, hoc ineffabile Amoris mysterium, hoc Omnipotentiae prodigium, Sapientiae arcanum, Bonitatis abyssum, vivacissime credam, firmissime sperem, ardentissime concupiscam & omni honore & cultu possibili diligentissime prosequar. Corroborata animae meae facultates in tuo servitio, & gratiam tuam mihi assiste, ut Filium tuum assidue audiam, eum cum amore suscipiam, velut Magistrum auscultem, velut Ducem sequar, nec desistam, donec assequar. Amen.

11. Testimoniam Filij Dei.

TU quoque, Fili Dei, testimonium dare soles praesentiae tuae, sacram Synaxin adeunti, dum Sapientiam tuam infinitam eum illustras, agenda edoces, renovasque hoc testimonium, à te olim in terris degente de temetipso datum: *Ego sum via, veritas & vita. Ego sum via* per quam ad perfectionem & ad caelum ambulandum est, ne aberretur. *Ego sum veritas*, cui credendum est, ut solatium & quies inveniantur. *Ego sum vita aeterna*, quae speranda &